

glia ab Anglis Saxonibus Germaniæ populis, qui eam incolere, & Britones ferè omnes in Vualliam expulere, tertiam insule partem, que olim Cambria à Cambro Bruti filio uocata est. Partem uero insule inferiorem in Septentrionem uergentem (que antiquitus Albania ab Albanaco Bruti filio) Scoti occupant, à pictura corporis sic nuncupati, à quibus Scotia dicta, Gallicis amicissimi, Anglorumq; Regi maxime infesti. Hęc pars tenui freto ab occidente, Tuesti fluuio ab Oriente, & medio Ordolucis montibus, quos uocant Cheuiet, ab Anglia dirempta est. Indiscreti Scotorum habitus, indiscreta ferè omnia, eadem ferè lingua, iidem mores, subita ingenia, & in ultionem prona, ferociaq;. In bello fortes, in edie, uigilia, algoris patientissimi, decenti forma, sed cultu negligentiori: inuidi natura ac ceterorum mortalium contemptores: ostentant plus nimio nobilitatem suam: ut in summa etiã egestate suum genus ad regiam stirpem referant, necnon dialecticis argutis sibi blandiuntur gaudent mendacio, nec pacem colunt ut Angli. Lapidum carbonum ad calefaciendum est usus ita communis, ut mendicantes à pratercuntibus eos in elemosynam petant: Insula hęc triangulari est forma, & Sicilię maxime similis: que ab ortu Germaniam, à meridie Galliam, ab occasu Hyberniam insulam & à Septentrione orchades 30. prospicit. Huius longitudo à Totenesia, in Cornubia, usq; Catenesiam in Scotia 800. millibus passuum: latitudo scilicet à Menenta, in Vuallia, usq; Dorobernium 300. millibus passuum: & ambitus 3600. millibus passuum constat. Cesarri commentariorum lib. 5. uicies centum millibus passuum constat, nam latus contra Galliam à Cautio ad Dannonium 500. occidentale 700. tertium latus 800. milliaria continet. Loca sunt temperatiora, quam in Gallia remissioribus frigoribus, caloribusq;: opima frugibus, atq; arboribus, & alendis apta pecoribus, ac iumentis, quorum est ma-

gnus numerus, & precipue ouium, quia nulli sunt lupi. Vinum olim non gignebat, iam uero uineas habet in quibusdam locis, habet aurum, argentum, ferrum, plumbum, stannum, et carbonem abunde, hinc efferuntur pelles, & carnes ad uenadum aptissimi. habet prægrandia flumina piscosa, alternis motibus bis cottidie modo in pelagus, modo retro fluentia, habet fontes salinarum, habet & fontes calidos, habet gemmas, margaritas, & lapidem Gagantem plurimum optimumq;. Dies longissimus horarum 18. deprehenditur, & æstate lucida sunt noctes. Hominum est infinita multitudo, qui diu (ut ait Plutarchus) uiuunt. Anglorum lingua ex populorum diuersitate composita, intellectu, scientiaq; loquendi difficillima est. In bello sunt intrepidi, optimiq; sagittarij, opulentissimi, & mercimonijs uel maxime dediti, celebresq; nobili panno, ob bonæ lanæ copiam.

Præter alia musicam, & lautas mensas proprie sibi uendicant. Caruleis sunt oculis, & facie adeo sunt uenusta, & statura procera, ut beatus Gregorius cum forte Anglorum pueros Romæ uideret uenales (alludens patriæ uocabulo) Bene, inquit, Angli dicuntur, quia uultu nitent ut Angeli, oportet illis iter salutis æternæ administrare: quod factum est, ut ait Beda, anno à uirgineo partu, 156. Lucio Britannorum Rege id per epistolam ab Eleuterio Papa postulante, Antonio & Commodo Romæ imperantibus. Sunt in Anglia Archiepiscopales sedes duæ, Cætuariensis & Eboracensis, Episcopales 19. ciuitates ferè 50. oppida 136. prouinciæ 63. Ducatus uero & comitatus pauci admodum. Hybernia alia insula huic uicina quam Hyrlandiam uocant, Anglorum regi paret, ad occidentem posita, dimidio quam Britannia minor. Adeo pabulosa est, ut ibi pecuaría (nisi egestate à partibus arceantur) in periculum agat saties. Nullum noxium animal gignit, non araneam, non ranam, nec alit aliunde inuecta. Omnia noxia anima